

fes, & Guido non recipient homines de Cæsarea, nisi ex beneplacito utrorumque. Item Magister Anselmus de Conzano, & Thebaldus Vascus (1). Nuncii civitatis Cæsareæ juraverunt fidelitatem Friderico Imperatori, & filio ejus Henrico Regi, quod observabunt ea, quæ supradicta sunt, & facient concives suos jurare, quod observabunt ea quæ præscripta sunt. Item Rodulfus Camerarius ex mandato Imperatoris, & Henrici filii ejus Regis juravit in animam ipsorum, quod conservabunt hominibus Cæsareæ ea, quæ præscripta sunt in hoc Chirographo, quamdiu Cæsarea ipsis fidelitatem servaverit. Hujus rei testes sunt Fridericus Dux Suevorum, Rodulfus Imperialis aulae Protonotarius, Comes Albertus de Curstem, Conradus Castellanus de Nuremberg, Henricus Comes de Affidorf, Albertus de Clemente, Philippus de Casali, Gerardus de Novaria, Lafrancus de Cuma, Sirus Salimbenus de Papiæ, Pallinerius de Ossana, (2) Petrus de Visconte, Malevasci de Brixia, Picelmilia de Vella, & alii quamplures. Actum in Palatio Nuremberg anno Incarnationis Domini Nostri MCLXXXIV., indictione II., pridie idus (3) martii.

(1) *Al. in alio exemplari Vascus.*

(2) *In alio Osafena.* (3) *In alio exemplari, quod erat penes Can. Laur. Burgontium per errorem erat scriptum, Ind. I.*

*Fœdus inter Commune Alexandria, & homines de Mirabello.*

65

MCLXXXIV.

Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXIV. indictione secunda, die sab. IX. kal. aprilis. In nomine Domini. Hæc est concordia habita inter Consules, & homines Cæsareæ, & inter Dominos de Mirabello. In primis homines Cæsareæ scilicet Consules, & tanti de consilio, quantos homines de Mirabello voluerint, & Saltarius in Arengo in animas populi jurabunt, quod salva fidelitate D. Imperatoris Friderici, & Regis Henrici filii sui, & salvis eorum præceptis eorum missi, qui sit Teutonicus, adjuvare habent Dominos de Mirabello, & eorum consortes, qui in hac concordia ad præceptum, & voluntatem Consulium Cæsareæ intervenerint de omnibus suis justitiis, & rationibus salva fidelitate Dominorum suorum, & salvis sacramentis suorum juratorum, scilicet Januensium, Cassinensium, Aquensium, & Marchionum de Pulzono in eorum justitiis, & rationibus tantum. Item quod de omnibus eorum guerris quas ad præceptum, & voluntatem Consulium Cæsareæ inceperint, eos adjuvabunt a sua, & eorum casa; nec de eorum guerra sine parabola illorum Dominorum omnium, vel saltem duorum ex illis pacem facient, neque treguam, neque guerram, recrudutam. Et hoc attendere habent in perpetuum renovando Sacramenta per unumquodque quinquenium: & hoc Sacramentum fecerunt omnes Consules, & totum consilium ad Campanam collectum, & Saltarius in Arengo in animam populi. Illi vero de Mirabello jurabunt, quod salva fidelitate D. Imperatoris, & ejus præceptis, & sui certi missi, qui

sit Teutonicus, & salva fidelitate Marchionum de Bosco, & salvis Sacramentis suorum juratorum, scilicet Marchionum de Pulzono in eorum justitiis, & rationibus tantum, homines Cæsareæ, & eorum, res custodient, salvabunt, & sua parte adjuvabunt. Item quod de omnibus guerris, quas homines Cæsareæ, quoquo modo contra aliquem inceperint, vel movebunt, eos omnibus modis adjuvabunt, & a sua, & eorum casa, & quod per se de ea guerra sine parabola Consulium, & sane omnium, vel majoris partis, nec pacem facient, nec treguam, nec guerram recrudutam. Item quod hominibus Cæsareæ semper, & quodcumque voluerint alicui guerram facere a civitate Cæsareæ dabunt castellum, & locum de Lelma ad faciendam pacem, & guerram cui voluerint, ita tamen, quod eum locum, & castellum non perdant, nec jura, quæ in eo habent, diminuatur. Item quod non renovabunt Sacramentum illis de Campali sine parabola Consulium Cæsareæ, & filiorum Vermi Trazoni. Et hoc totum generaliter, ut supra legitur, in universum attendere habent in perpetuum renovando Sacramenta per unumquodque quinquenium: & de Dominis de Mirabello fecerunt hoc Sacramentum Rufinus, & Rainerius de Mirabello fratres, Anselmus, & Baldezonus, & Jacobus de Lelma, & quod bona fide alios Dominos hoc idem facient jurare. Actum fuit hoc in Cæsarea civitate in Ecclesia sancti Petri feliciter. Interfuerunt testes rogati Vermus, & Amicus de Viliis, Dodus de Quarngento, Jacobus Rodecauda, Gislerius Aureus, Manfredus de Dulfo, Petrus Canefrus, & alii plures.

*Decretum Urbani PP. Monachis, & Templariis Aquen. ne turbent jura Parrochialia Ecclesiæ majoris Aquensis.*

MCLXXXVI.

66

Urbanus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, monachis, & fratribus militiæ templi, & hospitalis Hierosolimitani in Aquensi urbe, vel suburbio commorantibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Quanto de favore Ecclesiastico commoda nobis majora proveniunt, tanto ne Ecclesiarum jura temere perturbetis nobis immineat sollicitius providendum. Ideoque presentium vobis auctoritate mandamus, & districte præcipimus, quatenus terminos parochiæ Aquensis civitatis, & suburbii, quæ Aquensi Ecclesiæ per sententiam D. bonæ memoriæ quondam Mediolanensis Archiepiscopi adjudicata fuisse dignoscitur, nullatenus infringatis, nec aliquem de parochia illa in poenitentis publicis, & exequiis defunctorum, vel aliis parochialibus admittatis, quia grave nobis existeret, & molestum, nec possemus æquanimitè sustinere. Datum Veronæ II. id. febr.

*Privilegium Urbani III. Papæ monasterio Tilieti ex chartulario ejusdem Abbatie.*

MCLXXXVI.

67

Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis suis Nicolao Abbati monasterii S.